

Otto Steiner officialis curie episcopalis Nuemburgensis vicarius in spiritualibus generalis universis et singulis divinorum rectoribus per et infra civitates et diocesim Nuemburgensem, ubilibet constitutis sinceram in domino caritatem. Quia olim propter quoddam homicidium in opido Czwickoviensi perpetratum quedam cappella fuit erecta, constructa et consecrata, que tandem ex certis causis per communitatem prefati opidi fuit fundita destructa citra nostri diocisani consensum, propter quod consules et iurati suo et communitatis Czwickowiensis nomine ad cor revertentes honorabilem virum dominum magistrum Nycolaum Wolkenstein presbyterum Nuemburgensis diocesis cum mandato et procuratorio, de quo nobis constabat, ad venerabilem in Christo patrem et dominum, dominum nostrum Cristanum episcopum Nuemburgensem destinarunt, qui procuratorio nomine predictorum consulum et iuratorum et universitatis predicto domino nostro Nuemburgensi humiliter supplicabat, quatenus prefatis suis dominis consulibus et iuratis ac universitati predictae de absolucionis beneficio et alias de remedio oportuno providere dignaretur, presertim cum adhuc in hoc casu potestas absolvendi resideret pleno iure, prefatus vero pater et dominus noster episcopus Nuemburgensis diligenter circumstanciis cause supradicti negocii recensitis in veracitate invenit, quod prefati consules et iurati et commune opidi supradicti et alii, qui propter premissa culpabiles exstiterant, publice excommunicati denunciati non fuerunt, nobis vive vocis oraculo auctoritate absolvendi prefatum dominum et procuratorem in persona consulum et iuratorum et universitatis predictorum commisit. Nos vero Otto officialis et vicarius supradictus secundum formam ecclesie recepto a predicto domino Nycolao nomine reorum predictorum corporali iuramento, quod et ipsi rei mandatis ecclesie parerent realiter cum effectu. Et quod contra canonem de cetero non venirent, ipsum in persona eorundem duximus absolvendum et absolvimus^{a)} cooperante clemencia salvatoris auctoritate nobis tradita et commissa vobis omnibus^{b)} et singulis, qui cum presentibus fueritis requisiti, districte precipimus et mandamus, quatenus reos supradictos ab huiusmodi excommunicacionis sentenciis absolutos publice nuncietis. Datum anno domini millesimo CCC^o LXXXVIII^o, quarta die mensis decembris^{c)}, in dote ecclesie sancti Nycolai in Cycz, presentibus discretis viris domino Conrado plebano in Lotschicz^{d)} et Johanne Animale clericis Nuemburgensis diocesis testibus ad premissa vocatis pariter et rogatis. In quorum omnium et singulorum premissorum^{e)} testimonium et fidem clariorem sigillum nostri officii presentibus duximus appendendum.

a) et abs- über der Zeile (A) b) folgt wiederholt omnibus (A) c) decem auf Rasur (A) d) Lotsch- auf Rasur (A) e) premissorum später nachgetragen (A)

197. *Bischof Christian von Naumburg bestätigt eine Stiftung des Zwickauer Bürgers Martin von der Mosel und seiner Gemahlin für den Martinsaltar in der Marienkirche zu Zwickau.*

1388 Dezember 5

*Original: Stadtarchiv Zwickau, A*A III 19 Nr. 9 (A); Pergament: 26 cm breit, 16,5 cm hoch, Plica: 2,5 cm; Besiegung: Das Siegel des Ausstellers an Pergamentstreifen; Rückvermerk (15. Jh.): Confirmatio über die menner zcur Kulitzsch und Crinitz. — Abschrift: Stadtarchiv Zwickau, K 1 Nr. 9b I, fol 4r*